



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 2. De Obligatione Noblilium

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

quit) generis consideratio: aliud enim super-
ne Originem traxit: quo omnes per aequae No-
biles sumus, quippe ad imaginem Dei Crea-
ti: aliud à carne proficiscitur: quo quidem
handscio an quisquam nobilis dici possit, cum
id totum corruptione conficiatur: aliud à
virtute vel vitio agnoscitur: de quarto vero
genere quatenus nuda politicum est, subjun-
git; quartum illud nobilitatis genus quod in
Principum diplomatibus edictisq; consistit,
tum illo loco ac pretio habeo, cum pictam for-
mæ Elegantiā laudandam dixerō. Simiam-
que ob id revereri capero, quod Leo esse
iussa sit.

Articulus Secundus.

De Obligatione Nobilium.

i. **D**uo quæ ad Regimen populi spe-
ctant in Nobilibus Vasallis distin-
guenda sunt: unum est propria jurisdic-
tio & Dominium in Provincias, sive do-
minia hæreditaria, sive quæ possident, &
eorum subditos sive dominiorum Incolas.
Alterum est dependentia quædam à Rege
sive supremo Principe, quibus tanquam

eorum Vasalli aliquod Homagium vel iura rependere tenentur.

2. Primo itaque ex Jurisdictione propria & Hereditaria in Provincias vel terras suas & colonos obligantur, ad subditorum, juxta leges Civiles Regimen, illorum conservationem, & ab injuriis defensionem. Hæc sunt communia omni dominio despotico: Sicut enim Coloni & subditi tenentur illis ad Reverentiam, fidelitatem, & obsequium juxta Dominiorum leges: ita ipsi correlative subditis ad supradicta tenentur. Unde gravissime peccant Principes & Nobiles, qui suos subditos alias liberos, sicut Mancipia regere, ad placitum & arbitrium præsumunt, qui eos opprimunt, & quantum possunt ab injuriis defendere non satagunt. Peccant & subditi, qui eis honorem non deferunt, qui infideliter illis obsequuntur, & qui quovis modo suis dominis infideles sunt.

3. Secundo Nobiles ex gradu & dignitate Nobilitatis obligantur Regibus ac Principibus supremis ad Homagia, recognitiones, fidelitatem & onera quæ eis

com-

competunt. Unde vocati ad bella convenire & Principibus assistere debent, interdū cum certo comitatu: Extra Provincias vero & Regna, absq; Regum & Principum voluntate, quandoque non possunt alienæ militiæ deservire. Denique fidelitatem servare tenentur in omnibus, quæ vel Regum & Principum Personas, vel etiam Regnum & Provincias concernunt, & hæc omnia non tantum in foro fori, sed etiam in foro conscientiæ & poli.

TITVLVS QVARTVS.

De Magistratib9 ac Officiariis.

Articulus Primus.

De Qualitatibus Præfectorum ac Magistratum.

I. **Q**ualitates præfectorum & eorum qui ad Magistratus assumuntur, paucis comprehendit Consilium Jethro Soceri Moyse: *Exod. 18. Provide autem (ait) de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis. Tribu-*